



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Decimis. Consilium CCCCXLIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

decimæ ex consuetudine percipi possunt. Quod sanè longè distat à libertate & immunitate à decimis, cum consistat & positum id sit in defectu materiz non juris. Contra dictam Antonij Ducis constitutionem videri posset fieri, si Capitulum ex fundo, qui decimabiles fructus ferre consuevit, contra antiquam & præscriptam consuetudinem peteret decimas: quod dici non potest, quando decimæ petuntur ex fundo, qui prius decimabiles fructus ferre non consuevit.

- 16 Longè minus tribuendum est alteri (ut Reus nihil non coacervat) constitutioni Caroli Quinti Imperatoris; quâ Ecclesiasticis interdicitur, ne aliquo modo in Ducatu Brabantiz novas aliquas decimas exigant: cum id Actores ex his duobus fundis minime faciant; sed petant dumtaxat decimam vulgariū fructuum, decimationi ab omni ævo semper subiectorum; ut Reus ipse satis fatetur; saltem non allegat in hac causa à se peti aliquam decimam de aliqua frugum specie, de qua non fuerint solitæ & consuetæ semper solvi decimæ. Hæc itaque Imperatoris constitutio nihil pertinet ad qualitatem aut conditionem fundorum; nihil etiam ad libertatem aut obligationem decimarum, quæ suo loco & juris dispositioni relinquuntur: sed dumtaxat ad species frugum, ut nullæ amodò decimentur, nisi quæ decimari solent; ad derogationem juris communis, quo de omni frugum genere, etiam de holeribus, æneto, menta, decima scrupulosè solvi debet, *cap. Peruenit, c. Nuntius De decimis*. Quosensu & intellectu dicta Imperialis constitutio rationabilis videri potest, dominic. à Soto *De iust. & iure quæst. 4. art. 2. vers. ad primum*: quæ ad alium sensum detorta, prorsus esset iniqua, & Ecclesiasticæ libertati contraria, & sic omnino cassa, & irrita, *Authent. Cassa cod. De sacros. Eccles.* Nihil itaque in ingenti illorum, quæ Advocatus Rei accumulatur, acervo conspicitur, unde Reus huius causæ dictis duobus fundis possit concludenter asserere immunitatem seu libertatem à præstatione solitarum & consuetarum decimarum. Et cum hanc immunitatem Reus in specie non ostendat, consequitur, ex clara & liquida juris apertissimi dispositione, in *cap. A nobis in fine de decimis*; quod dicti duo fundi dictæ decimationi sint, & maneat subiecti, recedente ex illis per Actores in hac causa decimæ petantur.

- Illud multum extra propositum est, quod Reus obijcit de defectu congruæ portionis Ecclesiæ S. Quintini; & quod Pastoribus de jure competant decimæ: nam cessat juris communis, *cap. cum contingat De decimis*, ratio, ubi ex privilegio alteri etiam in alterius Parochiâ competit jus decimandi, *Dact. in d. cap. Cum contingat*; ut in proposito constat illas in hoc Oppido Lovaniensi Actoribus competere, ex dicta Principum donatione & concessione; per quam juris communis dispositioni detrahitur. * Sanè si Rei Advocatus eo consilio id allegat, ut saltem jure novalium ex suis fundis ad aliud genus culturæ redactis, non Actoribus, sed Pastori inferat inde deberi decimas, etiam si alij ex privilegio vel præscriptione decimæ generaliter debeantur, *cap. Ad audientiam cap. Tria 1. §. 1. De decimis, cap. 2. cod. tit. lib. 6.* multum fallitur.

Neque enim eorundem fundorum alia cultura facit eos novales; ex quo prius culti fuerunt, licet non per fructus decimabiles; ut puta per vineas, holera & alia similia: quæ non patiuntur hos fundos jure novalium censeri, *cap. Quid per novale De verb. signif. d. cap. commissum*. Sed hæc quaestio, ut & illa de congrua portione, in hac re omnino impertinens est: cum sit exceptio de jure tertij, quæ excipienti prodesse non debet: de suo enim quisque, non de alieno jure agere & excipere debet. Et si Pastori quid deesse, id suo jure petere possit; sed non proinde Reo patrocinari, ut decimas non præstet: quas nec dicto Pastori deberi fatetur, dum præfractæ sustinet nulli eas deberi ex prætensa fundorum suorum immunitate. Cum alioqui novalium consideratio in proposito magis suffragari debeat Actoribus; ob id, quod Lovanijs unicum dumtaxat sit decimagium; non tot, quot sunt parochiæ: nam ab unica Parochiâ S. Petri, velut coloniæ derivatæ sunt aliæ; propter multitudinem parochianorum, & faciliorem administrationem Sacramentorum; ut plerumque crescente multitudine populi fieri solet, *cap. Ad audientiam 1. De Ecclesiis adific.* Ex qua multiplicatione parochianorum nulla competitur facta divisio aut separatio decimarum; sed illæ in universum sunt relictæ Ecclesiæ S. Petri ut matri; aliunde harum novarum parochiarum parochis assignatâ congruâ portione. Quod fit, ut si quæ novales decimæ in quacunque parte Oppidi Lovaniensis superveniunt, etiam ex juris communis dispositione applicari debeant matri huic, ut propriæ Ecclesiæ: cum ex donatione præfatorum Ducum, non tam datæ & concessæ, quam restitutæ fuerint decimæ illis semel ante constitutionem Lateranensis Concilij ablata, *d. c. Cum contingat d. c. De decimis*: aliter quæ si donatæ essent, quibus ex jure communi decimæ non debentur, *c. ult. §. ult. de decimis lib. 6.* Ita ut frustra de novalibus quaratur, quas constat ad matricem Ecclesiam pertinere, etiam in omnem eventum. Sic ut omnibus ritè expensis, nihil solidi occurrat, quod Actorum sic benè fundatam intentionem possit perimere: ideoque Venerabilis Domini Iudicis partes sint, ut Reum secundum conclusionem Actorum per omnia condemnet.

De Decimis.

S V M M A R I V M
Decimarum immunitas.

1. Testimonij non credi.
2. Decima ab omnibus præstande.
3. Decimarum immunitas stricta est.
4. Præscriptio contra decimas rarissima.
5. Partia esse non allegare, & allegatum non probare.

CONSILIUM CCCCLXIII.

Q V O D jus universale seu generale percipiendi decimas ex frugibus intra muros Oppidi Lovaniensis natis & perceptis, pertineat ad collegiatam Ecclesiam Sancti Petri Oppidi Lovaniensis, cujus Decanus & Capitulum in hac causa adversus M. Ioannem Dinchebroeck Reum agunt; constat ex legitimo, antiquo, fide digno instrumento in hac

hac causa exhibito, & per Reum recognito: quod bonæ memoriæ Godefridus Dux Brabantie in anno 1140. dictæ Ecclesiæ dederit & contulerit omnes decimas tam minutas, quam majores de omnibus fructibus, crescentibus in agris, pratis, ac curtibus infra alodium Lovanienſe; excepta certâ portione, quæ Parocho & Custodi ejusdem Ecclesiæ de prædictis decimis præstatur. Quodque hanc donationem quondam Ioanna Ducissa Brabantie anno 1399. atque etiam literas Apostolicas eadem de re confirmando, dictæ Ecclesiæ concesserit, quod de omnibus bonis infra oppidum Lovanienſe, imò etiam extra illud intra illius libertatem decimas perciperet. Et quod huic confirmationi in anno 1441. accesserit ulterior confirmatio Philippi Ducis Burgundiæ. Ultra quod instrumentum extat quoque aperta Rei confessio, quod ad Decanum & Capitulum dictæ Ecclesiæ pertineat jus exigendi decimas ex fundis, ex quibus consueverunt singulis annis colligi decimæ. Cum ergo ex istis omnibus legitime ac plene constet, ex omnibus agris intra præscriptos terminos Actoribus decimas deberi; & Reus confiteatur, agrum, de cujus fructibus pro anno millesimo quingentesimo octuagesimo quinto decimæ petuntur, se possidere, per Actores in secundo libelli articulo designatum; hoc est intra moenia dicti oppidi Lovanienſis situm; & quod in mense dicti anni octuagesimi quinti, quatuordecim vel sedecim acervos manipulorum seu fascium triticeorum perceperit, & ex dicto agro, nullâ decimâ dictis Actoribus solutâ, avexerit; exactissime probata censei debet Actorum intentio. * Contra quam Reus excipiendo hoc primùm allegavit, quod modernus Dominus Decanus, & Dominus Ioannes Pieremont Canonicus, & Dominus Hubertus Merlio Capellanus promiserint ipsum Reum immunitatem servare, eoque nomine non molestare. Sed id pro parte Actorum negatum, nec Reus per testes (cùm intra terminos probandi cancellos, & sæpius prorogatos nullos omnino produxerit) probavit. Et quod de ea re exhibuit assertum documentum manu Walteri Wamel scriptum, etiam hujus allegationis assertionem contineat, fidem tamen probationis non meretur, quia est merè privata scriptura, l. *Instrumenta* C. *De probat.* à privato homine scripta, continens nudum illius testimonium. Testibus autem, non testimoniis, l. 3. §. *idem* D. *Hadrianus De testib. Cassen. consil.* 394. *Videndum* nu. 2. vol. 1. hoc est testibus per Iudicem sub religione iurjurandi examinatis, non illorum sine Iudice scriptis attestationibus seu certificationibus fides adhibenda est, *Bertrand. consil.* 131. *Scriptura novissima* vol. 2. parte 1. *Cravetta consil.* 171. M. *Ioannes* nu. 5. Et ita quidem, ut nec Notarii, quamvis ille publica persona sit, huiusmodi certificationi crederetur; ob id, quod hoc instrumentum nullos testes, qui huiusmodi assertæ promissioni interfuerunt, adscriptos habeat; sine quibus adhibitis & inscriptis testibus nullius Notarii instrumentum, etiam in forma publica & in qualitate Notariali expeditum, ulla ad probandum vires habet, *Auth. de instrum. cautel. & fide* 73. §. *& si instrumenta.* Cùm alioqui etiam huiusmodi assertæ

Conf. Wamel. Tom. II.

ta promissio, si verè facta fuisset, dicto Capitulo nocere non posset: cùm non cõset illam factam esse de mandato vel Capituli præcedente, vel sequente consensu, c. 1. *De excess. Pralat.* l. 1. & 2. C. *Res inter alios acta.* Quod animadvertens Reus, petiit, obtinuit, & executioni mandari fecit literas denuntiationis seu garandizationis adversus dictos Dominum Decanum, Dominum Ioannem Pieremont, & Dominum Hubertum Merlio ad se defendendum adversus hanc litem: huiusmodi enim denuntiatione opus non fuisset, si asserta promissio Actores huius causæ quoquo modo constringere potuisset: vana itaque est hæc exceptio, l. *Vindicantem De evict.*

Obicit deinde Reus, quod Actores non percipiant decimas ex omnibus fundis intra oppidum Lovanienſis, & multos esse, ex quibus non percipiant: sed & hoc ab Actoribus negatum est, nec à Reo ullo modo probatum: quod etsi probatum esset, nihil Reo ad exceptionem prodesset. Cùm enim ex supramentionato vultu instrumento, & confessione Rei constet, jus decimandi intra muros oppidi Lovanienſis universaliter pertinere ad dictam Ecclesiæ, nec ex adverso proponatur quemquam aliud jus decimandi intra eosdem muros habere; & à præstatione decimarum nulla persona, nullus fundus sit immunis, c. *Ex transmissa*, c. *Commisum De decimis*, nisi vel ex privilegio, c. *A nobis & ibi Gloss. in verb. ostendatur De decimis*, vel præscriptione immemoriali huiusmodi immunitatem nactus sit, & illam legitime probet, c. *In aliquibus & ibi Doct. De decimis*, *Rebuff. in tract. De decimis quest.* 13. nu. 40. *cum multis seqq.* consequens est, huiusmodi allegationem non prodesse, quamdiu Reus non probat in specie, hunc quoque suum fundum, de quo in hac causa agitur, ex privilegio, præscriptione, vel consuetudine immemoriali à præstatione decimarum, liberum & immunem esse, *Gloss. in verb. Interruptionem in fine in c. Auditis De præscript. Innocent. in c. Tua i. per text. ibid. in fine De decimis.*

Neque verò unius fundi immunitas vicino fundi prodest, d. c. *Tua in fine*; & uni data, aut uni ex dictis tribus modis seu mediis comparata, non tribuit immunitatem alteri, c. *Sanè De privilegiis*, l. 1. *De consuet. Princip.* ut nec præscriptio in uno, vires suas extendit ad alium: tantum enim censetur præscriptum, quantum possessum, l. *Quod meo §. ult. De acq. poss. d. c. Auditis*. * Cùm alioqui adversus 4 decimas vel nunquam, vel rarissime decurrat præscriptio, can. *Decima* xvi. q. 1. & nunquam sine titulo propter contrariam hac in re juris prohibitionem, c. 1. *De præscript. lib. 6.* De quo nihil hic disputandum est, ex quo Reus neque privilegium, neque consuetudinem, neque etiam præscriptionem aliquam allegat, sed hoc dumtaxat, quod ex dicto fundo Rei nunquam fuerint exacte decimæ: quod abnutivum nihil facit ad præscriptionem, non additâ aliqua affirmatione: unde vel consuetudo vel præscriptio causari possit, *Dominicus in c. 2. n. 13. De præb. lib. 6.*

Ultra hæc Reus allegat veterem transactionem inter Magistratum, & prædictum Capitulum per librum quandam continentem catalogum fundorum, qui ab his decimis immunes sunt. Sed nec id ullo modo probatum est, ut nec illud, quod

Ff

quod Actores pro hac immunitate de qua in causa quaestio est, à Magistratu accipiant triginta unum Rideros aureos. * Ita quod cum paria sint non allegare, & allegatum non probare, l. In lege De contrah. empt. l. Duo sunt Titii De testum. tutela; nihil omnino tribuendum sit huiusmodi allegationibus: sed Reus destitutus iustis & sufficientibus exceptionibus seu defensionibus, merito in hac causa condemnari debeat, secundum conclusionem dictorum Actorum, tam quoad expensas, quam ipsum principale.

De Decimis.

S V M M A R I U M.

Decimarum immunitas.

1. Decimarum obligatio omnes perstringit.
2. Decime ex quocumque fundo debentur.
3. Decimarum non praestandarum possessio improbabilis.
4. Praescriptio adversus decimas quomodo procedat.
5. Praescriptio nulla est ignerantis.
6. Potestas patria praesumitur, quamdiu non probatur emancipatio.
7. Filius praesumitur ex iussu patris facere.

CONSILIUM CCCCXLIV.

DE duobus manipulis hordeacis dumtaxat videtur esse lis, quae coram Venerabili Domino Officiali Mechliniensi instituta est pro parte Venerabilium Minorum Decani & Capituli Collegiatae Ecclesiae S. Petri Lovaniensis Actorum; adversus Dominicellum Augustinum Vranx Reum. De re sane admodum exigua, & in qua merito dubites, an cuiquam horum litigantium etiam plena victoria prodesse possit, omnem fructum devorante litis sumptu; cujus totius recuperandi etiam ex plena expensarum litis condemnatione, numquam aut rarissime est potestas aut occasio in rigidioris exactioris expensarum taxatione, post laxiorem illarum profusionem: bonaque ratione ob id dubitari possit, utrius si non damnanda, saltem reprehendenda sit pertinacia; Actorumne in exigendo, an Rei in negando tantillo? Sed quae in aspectu & fronte de duobus manipulis tantum esse videtur lis, in recessu est de re maxima; nimirum de iure decimandi, quod Actores contendunt sibi iure universali in Oppido Lovaniensi & vicinia illius competere; & Reus sua oppositione sic in angustium cogit & convellit, ut non tam de immunitate huius sui parvi fundi, quam de universo iure Actorum in percipiendis decimis, litem suscepisse videatur: qui & Actores redigere conatur ad necessitatem in specie probandi, quinam fundi suae decimationi subint; licet pro ipsis & juris praesumptio ex iure universali quod habent per singulos fundos, qui ex adverso exempti & immunes non probantur, c. Cum Episcopus De officio ordin. lib. 6. Quos Actores ad hanc litem excitavit & animavit dicti Rei praeter ceteris in hac re contentionis studium; quia, eo citante & animante, plerique alii huius Oppidi incolae, Actoribus decimas praestare confidentius recularunt; adeo etiam ut eodem Reo procurante & Magistratum gerente, sub nomine Magistratus Lova-

nienensis oppugnata, & multis mensibus in suspensio retenta fuerit, in hac aliisque adversus alios ex simili ratione causis, Venerabilis Domini Officialis Ecclesiastica iurisdictio, per iudicium cassationis in Cancellaria Brabantiae: quamvis tamen irritum conatu, cum causa ulteriori cognitioni Domini Officialis per dictae Cancellariae sententiam tandem fuerint permixtae. Ita ut Actoribus non tantum consultum; sed etiam prope necessarium fuerit, vel initium facere à dicto Reo, ob recusatorem solutionis decimarum, tamquam principali, & aliis ad idem audendum auctore: ut eo deturbato, ad ejus exemplum alii se componant & temere non opponant. Praejudicii itaque hae in re, quam rei, de qua agitur, hoc est de duobus manipulis, major est consideratio.

Ultra quam, juris quoque necessitas Actores constringit ad hanc actionem: ex vinculo iuramenti, quo Ecclesiastici obstringuntur res suae Ecclesiae conservare, & deperditas recuperare, c. m. De reb. Eccles. non alien. in Extravagan. Diète Reo interea resistente communis juris dispositione & praesumptione, ex qua quilibet Christianus homo, Deo & Ecclesiae tenetur ad solutionem decimarum praestitum praedialium de omni suo agro seu fundo, c. Ex transmissa, c. Non est De decimis. Quae generalis juris praesumptio dictis Actoribus sufficit ad eorum intentionem in hac causa contra Reum fundatam: eo enim probato, quod scilicet ad Actores pertineat generale seu universale jus percipiendi decimas in territorio Lovaniensi, & comprehensivum vi ut potestate huiusmodi generis seu universalis juris satis fundata est Actorum intentio, d. c. Cum Episcopus, l. fin. & ibi Gloss. C. Sine censu vel reliq. quod ex Rei praedio seu praediolo constituto intra limites dicti Oppidi ipsis etiam debeantur decimae; tantisper saltem donec Reus probaverit ex causa aliqua iusta immunitatem.

Ex parte Actorum sufficientissime probatum est, quod ad Actores hoc jus universale spectet & pertineat, per apertissima documenta donati huius universalis juris per Duces & Ducissas Brabantiae: ut particulatim per aliam nostram consultationem, quam scripsimus in simili omnino, aut saltem non multum dissimili causa dictorum Actorum, contra Ioannem Snoeckx, vide supra consil. 442. quae eadem ibi deducta, compendio per iudicem huc repetita & translata esse cupimus. Illius enim & huius atque item alterius adhuc, quae hoc eodem temporis momento ad calculum tententiae deducta est, sup. consil. 443. tam par & similis per omnia fere est conditio & status, ut non tam ovum simile sit ovo, atque haec inter se. Ita enim est ubique & in fundanda Actorum intentione, & in coloranda Reorum defensione similitudo, imò prope identitas, ut solis fere nominibus mutatis, etiam numero eadem esse videantur.

Hoc praeter ceteris specialiter repetimus, & ob oculos ponimus, in eo, in quo Reus defensionis suae, ad asserendam fundi huius sui immunitatem à praestatione decimarum praedictum constituit, praedictum minimum esse; imò ex contrario inde Actorum intentionem solidius confirmari. Afferit Advocatus Rei, Actoribus non competere jus universale decimandi; ex eo, quod multi in Oppido Lova-